

inter venenum, & cibum salubrem libere eligens, illud rejicit, hunc sumit; si enim aliter ageret, non esset sana mente præditus.

VI. Quod absolute necessarium est, contingens esse nequit, cum ejus oppositum in se spectatum sit constanter impossibile. Contra autem, quod hypothetice necessarium est, in se contingens est; etenimejus oppositum non nisi in hypothesi data contradictionem involvit; sublata igitur hypothesi, contradictionem non involvit, ac proinde absolute necessarium non est. Hinc patet solam necessitatem absolutam contingentiam tepugnare, minime vero hypotheticam. Duplex illud necessitatis genus probe notari debet, ne hypotheticam necessitatem cum absoluta confundamus: hæc omnia non solum in rebus Metaphysicis, sed etiam in Theologicis contra Socinianos disputationibus maximæ utilitatis esse possunt. In plerisque Philosophorum libris ambiguum est nec satis determinatum contingentiam vocabulum; aliqui contingentiam velut omnimodæ necessitati etiam hypotheticæ oppositam considerant: hi autem a vulgari, & recepto loquendi usu recedunt; in quotidiano enim sermone necessarium dicitur, quod necessitatem duntaxat moralem importat; aliquando etiam futurum contingens a Deo prævisum vocatur necessarium. Necessitatis notionem ad decentiam quoque, ad quasdam scilicet actiones convenientes transferre solemus; sic loqui familiare est: *A scribenda epistola, ab invisendo amico abstinere non* pos-